

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Philipp Bauermeister

**De Systemate Socinianorum Dogmatico**

**Commentatio V.**

Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCXLII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1015765203>

Band (Druck)

Freier  Zugang



OCR-Volltext

DE

# SYSTEMATE SOCINIANORUM DOGMATICO

SCRIPSIT

**JO. PHIL. BAUERMEISTER,**

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS H. T. RECTOR.

---

COMMENTATIO V.

---

---

ROSTOCHII  
TYPIS ADLERIANIS.  
MDCCXLII.

SYSTEMA SCIENTIARUM  
DOGMATICO

SCIENTIA

SCIENTIAE ET MATERIAE

LOGICAE ET PHYSICO-MATHEMATICAE

PHYSICO-MATHEMATICAE

PHYSICO-MATHEMATICAE

PHYSICO-MATHEMATICAE

PHYSICO-MATHEMATICAE

cup. ni. (¶) eis omnes enim eis duo multo modo iniquo  
erit eis enim ei incepit insibido etiam. Cuiusmodi sunt etio  
-leges seculares quae non tam in iustitia sed etiam in  
non sibi insufficere eilibet mandatum motus. Nam cum iuste  
pro

§. 6.

**P**ostquam sententiam Socinianorum de Servatore exposuimus, inquirendum nobis est, quid de ratione statuerint, qua homines peccatorum veniam impetrant et ad beatitudinem perveniant atque certiores fieri possint, se, peccatis sibi condonatis, salutis aeternae seu immortalitatis fore participes. — Novo Foedere praeceptum est, unam tantum esse viam, qua homo justificetur<sup>1)</sup> et beatam vitam consequatur, *Christi praec-*

<sup>1)</sup> Eodem fere modo, quo nos, Sociniani verbum *justificationis* explicant. Etenim in Catech. Rac. ad Quaest. 453: *quid vero est justificatio?* respondeatur: „*justificatio est, cum nos deus pro justis habet, quod ea ratione facit, cum nobis peccata remittit et nos vita aeterna donat.*“ Et Socinus in *Tractatu de justificatione* (Tom. I. pag. 603. col. 2.) deum mera gratia et misericordia motum nos justificare i. e. *justos pronunciare et peccatorum remissione vitaque aeterna donare*, affirmit. Cf. ejusdem *Praelectt. theoll.* c. XV. (Tom. I. pag. 564) et Tom. I. pag. 603. col. 1., ubi in *Tractatu*, quem modo Iandavi, catholicos tacite impugnans addit: „*diligenter cavere debemus, ne ipsam sanctitatem et innocentiam justificationem nostram coram deo esse credamus.*“ Sic, si verba spectaveris, cum nostra ecclesia in justificationis dogmate Sociniani consentire et Catholicis sese opponere videntur; sed revera ad horum sententiam proprius accedunt, quam ad nostram. Nam etsi non actum dei, quo hominem

*ceptorum obedientiam sub spe vitae aeternae sive fidem<sup>2)</sup>.* In quo animadvertisendum est, eos, qui Christo obedient, quamvis sine spe vitae immortalis id facturi non essent, non tamen idcirco *mercenarios* appellari debere. Nam cum merces, antequam obedire constituunt, illis non

---

peccatorem illuminet, convertat et emendet, sive sanctificationem et renovationem *justificationem* esse cum Catholicis volunt, tamen eis non, uti nobis, justificatio est actus *forensis*, quem recte actum gratiae et justitiae dixeris, sed actus *merae gratiae*, quo hominibus deus ignoscat et beatitudinem largiatur. Deinde, quod maximi momenti est, sanctificationem et renovationem s. virtutis indefessum studium non, uti nos, justificationem *subsequi* docent, sed Catholicorum more peccatorum veniam et salutis aeternae donum e virtutis exercito s. sanctificatione derivant. Quapropter Socinus in *Tract. de justif.* (Tom. II. pag. 603) cavendum esse clamat, ne quis, ut hodie plerique, vitae sanctitatem et innocentiam justificationis effectum esse dicat.

<sup>2)</sup> Vide Socinum, qui in *Responsione ad objectiones Cuteni* (Tom. II. pag. 464.) „ad vitam, inquit, aeternam consequendam non ullum meritum, sed Christi praceptorum obedientia requiritur, cui constitutum est praemium sive merces, ipsa vita aeterna“. Secundum Catech. Rac. (cf. Qnaest. 418.) causa, cur remittantur hominibus peccata et eos salute deus donet, est in *fiducia per Christum in deum*, „quae duo comprehendit, unum, ut non solum deo vero etiam Christo confidamus, alterum, ut deo obtemperemus, non in iis solum, quae in lege per Mosen lata praecepit et per Christum obrogata non sunt, verum etiam in iis omnibus, quae Christus legi addidit“. Quod Catechismi auctores dicunt, hominem deo et Christo confidere debere, id potissimum de spe futurae felicitatis intelligendum est. At mireris, quod, ubi de obedientia deo praestanda agunt, oscitantes eas leges omittant, quas Christum peculiariter

appareat, eorum probitate vel saltem non deplorata improbitate sit, ut ejus mercedis, si obedierint, consequendae spem concipient et ita obedire non recusent. Itaque non solum merces, sed etiam *sanatus* animus ipsorum obedientiae caussa est. Quod verissimum esse comprobant ii,

---

praescripsisse ipsi docent, abnegationem sui ipsius, crucis tolerantiam et Christi imitationem, de quibus vide Comment. nostrae IV. pag. 7 et 8. —

Cave vero, ne in errorem induci te patiaris vocabulo *fidei*. Saepissime enim nostra loquendi formula utentes Sociniani *fide* hominem *justificari* et *fidem* ad salutem *requiri* adfirmant. Sed, quid sibi velint, Socinus aperte profitetur. Nam in *Notis in dialogum de justificatione* (Tom. I. pag. 610. col. 2.) contendit, *fidem, qua justificemur*, non esse credere promissionibus divinis, sed ipsi deo confidere, quod ut fieret, propterea esse a deo proposita promissa, quibus creditis necessario ipsi deo confidi „Et idcirco, inquit, alicubi videtur fidei isti, quod dei promissa sunt vera, tribui; quod per eam justificemur, cum tamen revera non ista fide, sed fide in ipsum deum i. e. fiducia in ipso deo collocanda justificemur, *quae fides obedientiam praeceptorum dei non quidem ut effectum suum, sed ut suam substantiam et formam continet atque complectitur.* Meminisse enim debemus — fidem, hanc scilicet, *qua justificamur, dei obedientiam esse*“. Praeterea lege, *quae* scripsit in Disp. de J. Christo servatore Part. IV. pag. 11. (Tom. II. p. 239), ubi *spei immortalitatis* cum obedientia conjunctae simul habet rationem atque ita disserere incipit“ fides ergo in Christum, *qua justificamur, quamvis obedientiam, quam spe futuri boni, quod is nobis daturus sit, deo praestamus, et complectatur et significet atque idcirco opus omnino declareret etc.* Audi denique Valentini Schmalcium in *Refutatione Thesum W. Frantzii* Disp. II. pag. 362 haec profitentem: „primum et principaliter

quorum animi sanati non sunt; qui, etsi eandem prorsus eodemque modo sibi propositam mercedem habent, non tamen obedire volunt, aut certe non obediunt.

Ratio autem, cur deus obedientiae praemium antea nobis nec prorsus ignotum nec certissimum esse voluerit, in eo quaerenda est, quod si *ignotum* antea fuisset, *nemo fortassis Christo paruisse*; adeo

ad salutem consequendam contendimus requiri dei gratiam et misericordiam; opera vero bona nos requiri contendimus ad salutem, tanquam caussam sine qua non. Et *haec opera* statuimus esse *formam fidei* et *ita ipsam* quodammodo *fidem*, ita ut, quoad verba, idem dicamus cum Lutheranis, *fidem*, addo etiam, *solam fidem*, post dei gratiam *ad salutem requiri*. — At si fidei *forma* et *substantia* sunt bona opera sive obedientia praeceptorum dei aut Christi, quo jure Sacra Scriptura opera opponit fidei, et, salutem illis minime parari, contra hac hominem justificari, adffirmat? quam sententiam Sociniani quoque suam faciunt (vide enim Ostorodtii Unterricht. etc. pag. 303. c. 36). Quam mira ratione hanc difficultatem solvant, ostendit ille ipse locus in Disp. Socini de J. Christ. serv. Part. IV. cap. 11. obvius, cuius prothesin modo citavimus, ubi auctor sic pergit „operibus tamen propterea merito opponitur, *quia nec perpetuam et absolutissimam praeceptorum dei conservationem ipsa per se continet nec propria vi justificat*, sed propter dei clementiam, qui ejusmodi opus facientibus, quod ob eam rem *dei opus a Christo appellatum* fuit, *justitiam*, quantumvis antea injustis, imputare dignatus est“. Cui sententiae adstipulatur Jo. Crellius in Cap. II. ad Galatas pag. 74. „Ex quibus intelligitur, *fidem*, cui justificatio simpliciter adscribitur, non quibusvis operibus, sed tantum operibus *κατ' εξοχήν* sumitis h. e. perfectis

humanae vires ejus praeceptis superari videntur, adeo ejus crux per se gravis et amara est. Sed immortalitatis propositum praemium tantum valet, ut nihil facilius factu videatur. Sin autem illud *certissimum* fuisse, nemo adeo improbus est, quin rebus omnibus relictis, Christo adhaesisset. Improbis enim ipsis male facta non per se placent, sed quia ex iis aliquod bonum sperant. Quod si, nullis maleficiis commissis, multo majora bona se consecuturos esse pro comperto haberent, *non virtutis ullo amore, sed certissima spe ingenis praemii vitam emendarent et Christo audientes essent.* Ut igitur proborum et improborum discrimen esset et alteri ab alteris internoscerentur, vitae aeternae incomparabile praemium ita Christo fidem habentibus proposuit deus, ut ejus praemii, quam dedit, notitia probis satis magna sit et ea ratione ipsis probitati exercendae et patefaciendae sit locus; improbis vero non sit satis magna et eorum improbitatem prodat et palam traducat. Ita igitur maxima cum ipsius gloria in his severitatem suam, in

---

*et perpetuam voluntatis divinae exsecutionem complectentibus opponi.“*  
 Quo, haud scio, an quidquam ineptius excogitari possit. Namque hoc disputandi genere efficitur, ut *fides* sit *obedientia imperfecta*, atque ut non per *perfectam*, sed *imperfectam* obedientiam salus sit quaerenda. — Uti *fides* Socinianis longe aliud quiddam significat ac nobis, ita etiam vocabula *regenerationis*, *conversionis*, *renovationis*, *sanctificationis* et similia, quae haud raro in eorum libris occurrunt, non eodem sensu, quo nos, accipiunt, neque accipere possunt, si vera esse velint, quae de *naturali hominum statu* et de *auxilio divino* ipsis placent.

illis vero benignitatem suam et suam simul in utrisque potestatem clarissime demonstrandi justissimam causam habiturus est<sup>3)</sup>.

At si quaeras, quam exacta beat esse obedientia, et ad quem perfectionis in pietate gradum deus hominem adscendisse velit, ut peccata ei condonare et eum beare possit, Sociniani respondebunt, non perpetuam omnibusque numeris absolutam, quamquam ei praestandae pares simus<sup>4)</sup>, obedientiam in Novo Foedere requiri, sed tantum, ut *ad absolutam perfectionem adspiremus et perpetuo ad eam quam proxime accedere conemur*, sive, secundum Catechis. Rac. „ut veterem hominem cum operibus ipsius exuentes ab omni peccato anteacto desistamus, deinde ut pro virili voluntatem dei exequamur, adeo ut non secundum carnem ambulemus, verum spiritu opera carnis mortificemus, in summa, *nullius peccati habitum contrahamus, omnium vero virtutum christianarum*

<sup>3)</sup> Vide Socinum in Disp. de J. Christo serv. Part. IV. cap. 12. (Tom. II. pag. 241.)

<sup>4)</sup> Val. Schmalcius in libro, quem supra citavimus, pag. 176, constituto discrimine inter perfectionem in pietate *absolutissimam*, quando quis ne semel quidem peccet, et *comparatam*, quando quis nullius peccati habitum contraxerit, adfirmat, *etiamsi difficillimum sit propter carnis infirmitatem, ut homo ad priorem perfectionem re ipsa perveniat, non esse tamen prorsus impossibile.* Ostorodtii Unterrichtung u. pag. 306. „Es ist an dem nicht zu zweifeln, daß es durch großen Fleiß und Gottes Hülfe geschehen könne, daß ein Mensch könne vollkommen werden.“ In qua sententia Socinianos a partibus Catholicorum stare, patet.

*habitum comparemus*<sup>5)</sup>. — Habitus autem peccati ex eo cognoscitur, si quis crebro, data occasione, peccatum committat, quantumvis id doleat et deploret<sup>6)</sup>. Contra, qui virtutis sunt studiosissimi, si virtutis habitum habent<sup>7)</sup>. Sed remittuntur etiam peccatorum habitus iis, qui sunt no-

<sup>5)</sup> Catech. Rac. Quaest. 421. Socinus in *Tract. de Justificatione* (Tom. I. pag. 603.) „cum nemo coram deo justificetur, nisi Christo obediatur et sic a peccando desistatur, certum est, ubi ista justificatio fuerit, ibi quoque jam peccatum ipsum revera oblatum fuisse, eumque, cui ea contingat, non amplius peccare. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi nullum prorsus, ne levissimum quidem, peccatum admittat, sed non amplius illi ulla ex parte peccatum dominari, neque eum ullius peccati habitum (ut loquuntur) habere, adeo ut v. c. nec scortator, nec ebriosus, nec avarus, nec conviciator, nec injustus dici possit.“ Et in libro: *Quod homines Regni Poloniae etc.* (Tom. I. pag. 694.) his verbis peccatorem consolatur „quamquam homini Christiano omnis vitiosus actus Christi praecepsit repugnans summo conatu et diligentia perpetuo est cavendus ac vitandus, tamen non quilibet ejusmodi actus, sed habitus vitiosus, vitiosaye consuetudo, quae evangelicae filii dei doctrinae adversatur, hominem a coelorum regno excludit.“ Postremo audiamus Schmalcium contra Frantzium in libro, quem modo laudavi, de eadem re disputantem „consideretur — eos etiam, qui habitum peccatorum deposuerant, etiamsi peccent graviter, spem remissionis peccatorum habere, si tantum interdum per fragilitatem et ignorantiam peccent, habitum vero non contrahant.“ (!)

<sup>6)</sup> Vide Refutationis Thesum Frantzii scriptae a Val. Schmalecio pag. 355.

<sup>7)</sup> Cf. libri ejusdem pag. 176.

vitii et vel per temporis vel aetatis defectum vel aliis de caussis nondum peccati jugum excusserunt; si resipiscant<sup>8)</sup>. — Itaque cum homo, quamvis non omnia exsecutus fuerit, quae a deo ipsi sunt imperata, tamen justificetur, statuendum est, imputationi in justificatione locum dari. At tantum abest, ut meritum Christi imputetur, ut obedientia, quamvis imperfecta, quoniam *voluntatem* hominis deus respicit, propterea perfecta habeatur<sup>9)</sup>. — Ex quo apparet, peccatorum veniam et salutem futuram non ab ullo merito humano profici; nam quod ii, qui Christo obediunt, vitam aeternam consequuntur, hoc a sola dei liberalitate et clementia pendet, qui non minus eos, qui Christo confidunt, quam ceteros, perdere poterat<sup>10)</sup>. Obedientia igitur non est caussa justificationis

<sup>8)</sup> Cf. libri ejusdem pag. 390.

<sup>9)</sup> Schmalzins in *Refutatione* etc. „non innocentiam, non justitiam Christi deus imputat credentibus, sed fidem illorum imputat illis pro justitia, ut Scriptura loquitur, h. e. etiamsi fides credentium non mereatur vitam aeternam, tamen deus in ea acquiescit, ac si vitam aeternam mereatur.“ Eadem invenies apud Osterdtium in libro: *Unterrichtung* n. pag. 304. Clarius rem exposuit ipse Socinus in *Dialogo de Justificatione* (Tom. I. pag. 605.) his verbis usus „Imputatur nobis a deo id, quod revera in nobis est, non aliquid, quod a nobis absit, vel in alio sit, nempe quod *firmiter in animo decreverimus*, nihil dubitantes de dei promissionibus, neque considerantes nostram infirmitatem humanaque rationes, nos *propositum fidei certamen decurrere velle*.

<sup>10)</sup> Cf. Socin. Disp. de J. Christo serv. Part. IV. cap. 12. (Tom. II. pag. 240.).

*meritoria* nec *movens*, ut loquuntur, sed tantum id, quo deficiente homo non justificabitur, sive *caussa sine qua non*<sup>11)</sup>.

Nunc de eo disquirendum est, utrum secundum Socinianam doctrinam homo obedientiam, qua dei gratiam consequatur, suis ipsius viribus praestare possit, an eum necesse sit a deo per Spiritum S.

adjuvari. Hoc autem eo accuratius examinandum erit, quo acerbius et saepius Socinum ejusque adseclas adversarii vituperant, quod operationem Spiritus S. qualemcunque in emendandis hominibus peccatoribus tollant.<sup>12)</sup> Quod an verum sit, ex iis, quae nunc disputabimus,

11) Ostorodtius in libro: Unterrichtung ic. ob wir wohl dieselbe Genugthuung Christi nicht zugeben, noch keine andere meritoriam oder impulsivam caussam unserer Rechtfertigung außer Gotte selber concediren, nämlich welche ihn bewogen und getrieben hätte, uns zu rechtfertigen, denn alles Das, was ihn hiezu bewogen hat, ist in ihm gewesen, nämlich sein guter und freiwilliger Wille und seine große Liebe und Barmherzigkeit gegen uns; so sagen wir doch, daß etwas in uns müsse befunden werden, ohne welches uns Gott nicht will rechtfertigen. Dasselbe aber ist — der Glaube an seinen Sohn Jesum Christum. Vide practerea, quae e Schmaleii libro adulimus §. 6. Nota 2.

12) Guerikius in libro: Allgemeine christliche Symbolik ic. etsi illud ipsum Socinianis non objicit, tamen pag. 364. quae de *gratia effectiva* tradent, ea infinita (unbestimmt) et dubia (schwankend) esse, contendit.

apparebit. Audiamus primum ipsum Socinum. Is enim in *Praelectiōnibus theol.*<sup>13)</sup> „eam, inquit, dedit (deus) legem,<sup>14)</sup> ad quam servandam ipsius auxilio opus foret, ut perpetua caussa esset, cur ab ipso penderemus eumque vitae et felicitatis nostrae auctorem clarius agnosceremus. Jam vero auxilium istud divinum duplex est, *exterius et interius*.

*Exterius* auxilium sunt *promissiones* legi adjunctae alicujus boni, cuius desiderio ac spe homines permoti legem servandi difficultatem superant; vel *minae* alicujus mali, cuius odio et metu perterriti, ab ea infirmando<sup>15)</sup> sedulo sibi carent, earumque et *promotionum* et *minarum externae confirmationes*. Multo autem magis *promotionibus* ad aliquid faciendum adducimur, quam minis. Quocirca, cum sub Novo Testamento *promissa* longe *praestantiora* sint, quam sub Vete, hinc sit, ut sub Novo divinae legi parere multo facilius sit, quam sub Vete.

*Interius* autem auxilium duplex est: *unum*, cum deus id, quod sibi audientibus promisit, eorum etiam cordibus quodammodo inscribit,

<sup>13)</sup> Tom. I. pag. 541.

<sup>14)</sup> H. 1. Socinus designat eam legem, quae nobis in *Sacra Script.* est tradita, non respiciens eos homines, quibus deus voluntatem suam extra ordinem miraculo patefacere noluerit. Alioquin auxilium divinum *absolute*, ut loquuntur, foret necessarium; id quod Socinianis haudquaquam placet.

<sup>15)</sup> Socinus haud dubie dicere voluit *violanda*.

*alterum, cum ad ipsius voluntatem recte percipiendam, quae in externo verbo propter res infinitas, de quibus in humana vita agere et deliberare contingit, expresse omnino contineri nequit, mentem erudit eamque illustrat*<sup>16)</sup>.

De hoc posteriore Socinus omnes eos locos Scripturae intelligendos esse censet, in quibus rogetur deus, ut voluntatem suam doceat, velut Ps. 143, 10. Ps. 119; de priore vero eos, in quibus Spiritus S. fiat mentio, quem deus, tanquam arrhabonem quandam futuri alicujus magni boni, hominibus largiatur, de quo sermonem esse a Cor. I, 22. 5, 5. Eph. I, 13. 14. atque ex his duobus interioribus auxiliis *prius* magis proprium esse Novi Testamenti, *posteriorius* vero Veteris; quod, quemadmodum in Novo Testamento vera bona promissa sint, sic in Vetere dei voluntas in *mortalibus*<sup>17)</sup> actionibus non ita explicata sit, ut in Novo. Addit Socinus „ex iis autem, quae dicta sunt, colligi potest, verum auxilium id esse, quod *exterius* appellavimus, cum *interius* utriusque

<sup>16)</sup> Ostorodtius in libro: *Unterrichtung* ic. pag. 233. „Die andere (scil. Hülfe), wenn der (scil. deus) des Menschen Gemüth erleuchtet, seinen Willen recht zu verstehen, welcher in dem äußerlichen Wort um vieler Ursachen willen, welche in des Menschen Leben sich begeben, ausdrücklich nicht kann verfasset seyn.“

<sup>17)</sup> In ea quidem Operum Socini editione, qua utor, in *mortalibus* actionibus non ita explicatam esse voluntatem divinam, ut in Novo, legitur; sed non dubito, quin Socinus scripsit *moralibus*.

generis nihil aliud sit, quam exterioris suggestio quaedam et ob-signatio; praesertim vero, cum nemini interius contingat, nisi prius exteriore recte usus sit. Nisi enim quis, externas dei voces audiendo, ejus promissis fidem adhibeat, ob-signationem illam eorundem promissorum in corde suo per Spiritum S. non accipiet; *credentibus* enim et *obedientibus* Spiritus S. datur. Similiter, nisi quis dei apertissimam voluntatem pro viribus exequi studeat, nunquam aliquanto occultioris cognitionem veram habiturus est et divina oracula perfecte intellecturus<sup>18)</sup>.

Quae de *priore interioris auxiliu genere* Socinus disputat, paullo obscuriora sunt, si neque ois lucem adfert Catechismus Rac. in eo loco,

<sup>18)</sup> Iisdem finibus sese continet Volkelius in libro inscripto: *de vera religione libri quinque*, nisi quod *externas confirmationes* promissorum et minarum in explicando exteriore auxilio omisit. In definiendo *interiore auxilio confirmationem* promissorum simul spectavit; haec enim docet „duplici ratione deus hominum conatus opitulatur, quarum altera externa est et vel in minando vel in promittendo consistit, quamquam in promissis major vis est, homines dei studio inflammandi; altera vero internum auxilium est, quod tunc nobis deus adfert, cum vel promissa nobis facta atque externis documentis confirmata animis nostris penitus insculpit vel pleniori voluntatis suae notitia nos instruit.“ Cf. Ostorodiis *Unterrichtung* pag. 282 et Val. Schmalciūm Refut. Thesijm W. Frantzii pag. 370 et 416.

ubi data opera de duplice auxilio divino agit, Quaest. 428. 429. 450.<sup>19)</sup> Is enim ne *alterum* quidem *interioris* auxilii diuinigenus curat, sed in eo acquiescit, ut doceat, *interius* auxilium esse id, cum *deus in cordibus eorum, qui ipsi obediunt, quod promisit, obsignet,* nullo verbo addito, quo ista *obsignatio* explicetur<sup>20).</sup> Ea autem *obsignatio* nihil est, nisi ille actus dei sive Spiritus S., quo *certissimam spem vitae aeternae sive firmissimam persuasionem in hominis credentis et evangelio obedientis animo excitet, qua sciat, se aeternam felicitatem esse conseculum.* Hoc voluisse Catechismi auctores atque Socinum, satis apparet ex iis, quae de Spiritus S. dono in Quaest. 365 — 368 traduntur. Ad Quaest. enim: „quid Spiritus S. sit“, in fine sic respondeatur „ea vox Spiritus S. designat dei donum, quod certis hominibus datur, quod cum a Scriptura vocetur arrha aut etiam arrha hereditatis nostrae et simul de eo dicatur, quod in corda nostra effundatur 2 Cor. I, 22. 5, 5. Eph. 1, 14, hinc necessario efficitur, nihil aliud

<sup>19)</sup> Catechismus in istis quidem Quaestt. *confirmationum externarum* neque in exteriore auxilio neque interiore describendo mentionem facit, sed in Quaest. 369, ubi de eo agitur, an omnibus *obsignatio* obtingat, *confirmata promissio vitae aeternae* memoratur.

<sup>20)</sup> Catech. Racoviensis ex recentiore editione hoc *alterum genus* pag. 251, ubi de Spiritu S. sermo est, non omittit, cum Spiritus S. donum ejusmodi dei adflatum velit esse, quo animi nostri vel *uberiore rerum divinarum notitia* vel spe vitae aeternae certiore atque adeo gaudio et gustu quodam futurae felicitatis aut singulari ardore compleantur.

esse, quam firmam et certam vitae aeternae nobis promissae spem, cuius in cordibus nostris gustum sensumque percipiamus.<sup>20)</sup> Quamvis autem alia placere Joanni Crelio videantur, tamen, si rei summae spectaveris, non discrepat. Is enim in *Tractatu de Spiritu Sancto* (Opp. Tom. V. pag. 480 — 485) effecta Spiritus S. describens enumerat primum *sensum amoris ejusque plane paterni*. Quod illum virum nihil aliud intellexisse, quam *certissimam spem* vitae aeternae, inde eluet, quod pag. 484. col. 1. cum isto sensu conjungit *spem*, quae inde profiscatur, *coelestis patrimonii certo a deo destinati*; adeoque pag. 483. col. 1. primum effectum Spiritus S. eum dicit, quod *spem nostram singulari modo confirmet*. Secundum effectum nominat *gaudium*, tertium *pietatem*. Ne vero opineris, *bona hominum opera* a Spiritu S. Crellium derivare, ea impediunt, quae statim subjungit; seu mavis, *ad eam* (pietatem) *singularem propensionem atque ad eandem colendam alacritatem*. Sic autem, si rem urgeas, illud ipsum non nova Spiritus S. est actio, sed efficitur, uti *gaudium*, primo Spiritus S. dono. Quid? quod ipse addit: *etenim quanta vis sit spei firmae immortalis vitae ad pietatem nobis ingenerandam, tum per se quisque intelligere potest, tum ex non paucis SS. Literarum locis manifestum est*<sup>21)</sup>.

<sup>21)</sup> Eodem modo, quae Catechismi Rac. recentiores editores praeter ubiorem rerum divinarum notitiam et certam vitae aeternae spem a Spiritu S. repetunt, gaudium, gustum et ardorem, ea pro effectis spei sunt habenda. De qua re vid. Not. praeced.

Patet igitur <sup>22)</sup>), Socinianos in emendandis hominibus operam Spiritus S. qualemcumque haudquaquam tollere. Attamen non iis placet, in homine, sive is malam concupiscentiam a parentibus quasi haereditate acceperit <sup>23)</sup>), sive non acceperit, a deo novas vires creari, aut naturales ipsas corroborari ad bonum faciendum. Hoc enim quum iis repugnaret, quae de naturali hominum post lapsum statu praecipiunt <sup>24)</sup>), tum jam credenti tantum et obedienti auxilium divinum ferri profitentur, iidemque facultatem quandam sive potestatem bono saltem studendi a Spiritu dari aut excitari disertis verbis negant <sup>25)</sup>.

Exstant omnino loci in Catechismo Rac. et aliis Socinianorum libris et ipsius Socini bene multi, qui cum iis, quae modo diximus, non conciliari posse videantur, e quorum numero paucos ejus generis nunc eligere libet, qui praeceteris, contrariam sententiam Socinianos tuitos esse, facile tibi persuadere possint. Quo pertinet, quod Catechismus Rac. habet in Quaest. 226. „in hac oratione (scil. fiat voluntas tua ut in coelis sic in terra) precamur deum, ut nobis in obedientia praestanda,

---

<sup>22)</sup> Quod auxilium *externum* appellant Sociniani, id proprie pertinet ad *doctrinam* sive *verbum dei*.

<sup>23)</sup> De qua concupiscentia vide *Commentationis nostrae tertiae* pag. 14.

<sup>24)</sup> Cf. *Commentationis nostrae tertiae* pag. I et sqq.

<sup>25)</sup> Cf. Schmalcium in *Refut. Thesum W. Frantzii* pag. 420.

quae ei debetur, et quae vita et factis exprimenda est, opem adferat; *multum enim opis homo indiget, ut ea, quae deus ei potissimum sub evangelio mandavit, praestare possit.* Sunt enim ea ejusmodi, *quae vires ipsius multis partibus superant*<sup>26)</sup>. Sed haec specie tantum superioribus repugnant. Etenim, quam opem divinam Catechismus dixit, eam constare tantum *promissis, minis et spe vitae aeternae*, luculentissime probatur ipso Catechismo. Postquam enim Quaest. 427. pro certo positum est, *quamvis communiter* in hominibus natura admodum exiguae sint vires ad ea, quae deus ab illis requirat, perficienda, tamen non tam exiguae esse, ut homo, si omnes virium nervos contendere, sive, ut cum Catechismo loquor, vim sibi facere velit, *divino auxilio accedente* non possit voluntati divinae obsecundare: illud ipsum auxilium Quaest. 428. etc. ad eas tantum res refertur, quas modo memoravimus. — Ita vero etiam quod Socinus in Respons. ad objectiones Cuteni<sup>26)</sup> scripsit „hominem in hac vita *non quidem viribus naturalibus, sed viribus sibi a deo*, per spem vitae aeternae sibi ab eo factam, *subministratis posse* dei voluntatem perficere“ id de solis spei, sive evangelii praedicatione excitatae sive per Spiritum S. confirmatae, effectis, non de novis viribus a deo donatis intelligendum est. Nam in iis, quae antecedunt, professus est, hominem per se ipsum ne deum quidem ejusque voluntatem cognoscere posse, sed necessarium esse, ut

<sup>26)</sup> Opp. Tom. II. p. 464.

haec illi deus aliqua ratione patefaciat; *quae patefactio si plena fuerit, qualem esse in Evangelio, i. e. cum vitae aeternae promisso conjuncta, tunc habere, unde possit vires sumere, ipsius dei voluntatem perficiendi.* — Neque aliter statuere licet, si quando Sociniani postulant, ut homines sese *spiritui regendos et gubernandos dent*<sup>27)</sup>, aut hanc vel illam legem v. c. apud Matthaeum c. 5. 6. 7. humanis viribus, *nisi divinitus fulciantur et roborentur*, praestari posse negant, vel similia proferunt<sup>28)</sup>. — Sane synergismi fautorem et defensorem te audire putaveris, cum Schmalcius in *Refut. Thesum W. Frantzii*, pag. 424, sic contra hunc pugnat „statuimus (scil. nos Sociniani) non tantum initium conversionis verum etiam ejusdem incrementum et perfectionem deo tribuenda esse; sed ita tamen, ut hominis voluntas ad ipsum conversionis effectum producendum prorsus requiratur. *Deus et Spiritus ejus caussa sunt efficiens principalis*, at hominis voluntas caussa est administra, sine qua deus nihil producit ordinarie.“ In quo tamen ante omnia tenendum est, Schmalcius h. l. de iis tantum hominibus agere, quibus religio christiana innotuerit, ut conversio ei sit *vita compositio ad religionis christiana normam*. Comparatum autem cum illis verbis initium ejusdem Disputationis et Disputatio III. pag. 370. extra omnem dubitationem ponit, voce *dei* significari revelationem evangelicam, ex

<sup>27)</sup> Vide Jo. Crellum in Commentario in 1 Cor. 6, 11. (Tom. III. p. 276).

<sup>28)</sup> Cf. Socinum in Responsione ad defens. J. Puccii (Tom. II. pag. 356).

qua voluntatem dei cum ejus promissis plane cognoscere liceat, et *Spiritu innui obsignationem spei immortalitatis, ita ut istius formulae „deus et Spiritus etc.“ is sit sensus, vitae ad religionem christianam compositae caussas primarias esse revelationem evangelicam et spem aeternae salutis obsignatam.* — Denique non praetermittendus mihi est is locus in Respons. ad objectiones Cuteni (Opp. Tom. II. pag. 464.) obvius, qui vel maxime ad eam rem, de qua nunc agitur, pertinere videtur. Eo in loco Socinus docet, si ita delinquit homo, ut vitae sanctimoniam abjiciat et virtutum christianarum semita relict a vitorum viam ingrediatur, nulla ratione posse ipsum se denua ad virtutes sectandas convertere et vitiis valedicere, sed necessarium esse, ut deus singulari suo favore et gratia ad id praestandum illi adesse eumque juvare dignetur. At primum animadvertendum est, Socinum eos tantum Christianos spectasse, qui *virtute relicta* vitiis sint dediti. Deinde, quem favorem et gratiā necessaria esse duxit, ea constant in *externis* rebus ita moderandis, ut tales homines, relictis vitiis, ad virtutem exercendam denuo sese convertant. Itaque de *interna* quadam Spiritus S. opera auxilioque omnino non est sermo.

Iis, quae hactenus disseruimus, satis superque comprobatum esse videtur, Socinianos *efficaciam* sive *operationem* Spiritus S. in eo ponere, quod *in hominum credentium et obedientium animis spes vitae aeternae promissae confirmetur*, qua illi incitentur ad voluntatem dei sibi patefactam sive revelatam perficiendam.

Percontantem autem, ean necessario Spiritus S. homines certissimos reddat de salute aeterna, ut voluntatem dei ab omni parte perficere possint, sive an *obsignatio ad eam rem sit necessaria*, Catechismus Rac. Quaest. 368 docebit, saepe ab hominibus *aliquo modo* per ipsam evangelii praedicationem spem illam concipi, verum ad injiciendam animis eorum firmam et certam spem, cuius virtute in *omnibus temptationibus invicti in fide persistant*, videri necessario requiri, ut promissio in animis hominum obsignetur. — At si incertum est, utrum obsignatio ad perfecte satisfaciendum praceptis dei sit necessaria necne, magis etiam in dubium vocari poterit, (an sit necessaria ad salutem consequendam, cum perfecta obedientia ad id neutquam requiratur. Ipsam vero spem vitae aeternae ejusque promissum, hoc est auxilium *externum*, necessaria habent, ut *omnibus*, quae deus per revelationem imperavit, satisfiat<sup>29)</sup>).

<sup>29)</sup> Huc spectat, quod in Socini Responsione ad objectiones Cuteni (Tom. II, pag. 464.) legitur: Quilibet homo, ubi ad eam aetatem pervenerit, ut rationis usum habeat, si nulla mala institutione aut usu corruptus fuerit, posset, si plane id vellet, nullum ex iis peccatis committere, quae cum ipsa ratione pugnant eique per se omnino adversantur, sed ut ea peccata vitare possit, quae ipsi rationi per se non omnino adversantur, necesse est praeterea, ut sibi persuadeat et speret, si illa vitaverit, se ingens aliquod inde bonum consecuturum. Propterea deus praceptis suis, quae per Christum dedit, cum inter illa sint non pauca, in quibus ea prohibentur, quae per se humanae rationi alioqui non omnino adversantur, addidit vitae promissum.

Ad spei obsignationem<sup>30)</sup> vitae aeternae accedit alius Spiritus S. effectus, uberior rerum divinarum notitia<sup>31)</sup> sive illustratio mentis humanae ad directam intelligendam voluntatem<sup>32)</sup> divinam<sup>33)</sup>. Cave vero i putes, illuminationem, quam nos dicimus, a Socinianis his verbis defendi atque probari. Impedimento enim est, quod efficacitas ista pertinet tantum ad Christianorum officia vel praecepta dei, neque refertur ad Scripturam Sacram intelligendam. Quid, quod data opera nostram de illuminatione sententiam impugnant. Contendunt enim, si sine ulla patefactione Spiritus S. sive illuminatione homo Sacris Literis salutariter (ut loquitur) intelligendis impar esset, ejus rei caussam aut in homine aut in ipsa Scriptura inesse debere. Quae si in homine inesset, necessario consequi eum vel a deo sic creatum et formatum vel ejus naturam adeo corruptam esse, ut res divinas, etiam si externa ratione fuissent patefactae, tamen non intelligeret neque perspiceret. Neutrum autem vero consentaneum esse; atque adeo prius ab ipsis adversariis negari, utpote qui protoplastos inter alias praeclaras dotes eximis intellectu et sapientia a numine supremo ornatos fuisse dictitent<sup>34)</sup>. Denique ex iis, quae a Socino adjecta sunt, apparet, illustrationem,

<sup>30)</sup> Cf. pag. 15. Notam 20.

<sup>31)</sup> Cf. Schmalcium in Ref. Thes. W. Frantzii pag. 416 et Commentationis nostrae

pag. 13.

<sup>32)</sup> Cf. Osterodtii Unterrichtung n. pag. 17 et sequentia inquit oamnif

illam alteram Spiritus S. operationem, censeri eorum officiorum cognitione, in quaे in Libris Sacris diserte non definita sunt, neque propter infinitam rerum humanarum varietatem definiri omnia ac singula potuerunt.

Reliquum est, ut moneamus, ea, quae supra de fide et operationibus Spiritus S. scripsimus, ad eos tantum homines spectare, quibus religio christiana innotuerit; his enim imperatum est, ut saluti fide adsequendae studeant, his, si recte faciant, opem suam deus nunquam denegat. Attamen Sociniani non dubitant, etiam Judaeos, qui quidem pro virili vitam ad leges divinas composuerint, ad beatorum sedem perventuros esse<sup>33)</sup>, sed qualis eorum paganorum, qui legem naturalem exequi studuerint, sors futura sit, utrum hi in morte mansuri sint, an a Christo immortalitatis donum accepturi, de eo non idem sentire videntur. In Catechismo Rac. enim de paganis altissimum est silentium. Tum vero Socinus in Praelectt. theoll.<sup>34)</sup> illud quidem pro certo habet, in omnibus hominibus naturaliter esse aliquod justi et injusti discriminem, aut certe in omnibus hoc situm esse, ut cognoscant et fateantur, justum injusto anteponi debere, honestum turpi; atque hoc nihil aliud esse contendit, quam dei verbum quoddam interius, cui qui obediat, eum ipsi deo obedire; nec dubium esse, qui hac ratione deo paruerit, illi etiam gratum futurum. Sed in Commentario in Epistolam Joannis primam

<sup>33)</sup> Cf. Catechism. Rac. Quaest. 454.

<sup>34)</sup> Tom. I. pag. 536. col. 1.

certo adfirmare non audet, tales homines vitam aeternam esse consecuturos. Contra Schmalcius cum aliis Socini sectatoribus, quicunque deo obtemperaverint, eos omnes a Christo servatum iri, nullus dubitat<sup>35)</sup>.

<sup>35)</sup> Vide Tom. I. p. 246. Explicatis locis 1 Joh. 5, 12 et Act. 4, 12 (ubi Petri verba referuntur) Socinus addit: Summa haec est, tam Petri sententiam, quam Joannis, et si quae sunt aliae similes, in Sacris Literis ita accipi debere, ut intelligamus, nullam viam consequendae vitae aeternae patefactam hominibus a deo esse praeter eam, quam Jesus Christus docuit et sic praeter fidem in ipsum Jesum. Quod si deus nihilominus cupiam dare vitam aeternam velit, quamvis Jesu Christi cognitionem non habeat, nihil ab eo fit aduersus sententias istas. *Est enim hoc ipsius dei arcanum, quod nobis patefacere noluit, nec inquirendum a nobis est, seu hac de re in utramvis partem quidquam statuendum, et agnoscendum, illos non leviter errare inter eos, qui christianam theologiam profitentur, qui audent hanc rem non modo inquirere, sed de ea re in alterutram partem aliquid omnino statuere.* Horum dictorum magistri sui parum memor, Schmalcius in *Refut. Thesum W. Frantzii* pag. 98. clamat: credimus nos (scil. Sociniani), Jesum Christum, qui nos servabit, eundem etiam servaturum omnes, qui ab initio mundi fideles deo fuerunt. Dedit enim ei deus potestatem omnis carnis et is judex est constitutus vivorum et mortuorum. Conferre licet ea, quibus Volkelius in libro, quem saepe citavimus, pag. 131, locum in epist. ad Rom. c. 4. v. 7. 8. 9. obvium illustrat: Quae quidem Christi in mortuos potestas adeo late patet, ut non solum eos, qui Novi Fœderis temporibus moriuntur, sed illos etiam omnes, qui jam inde a mundi primordio vita excesserunt, complectatur. Nam et Davidis, quamvis jam olim demortui, dominus dicitur, reveraque tunc factus est, cum in altissimo regiae dignitatis collocaretur. *Quia de caussa statui potest, non solum illos, qui ipsius disciplinam sequuntur, verum etiam, qui olim cum pietate vixerunt, Christi esse, ab apostolo tunc dici, vel saltem iis, qui Christi sunt, accenseri, cum de mortuorum resurrectione explicans ait: Primitiae Christus, deinde, qui sunt Christi, in adventu ejus (1 Cor. 15, 23).*

(Continuabitur.)

certo adfirmare non audet, tales homines vitam aeternam esse consecuturos. Contra Schmalcius cum aliis Socini sectatoribus, quicunque deo obtemperaverint, eos omnes a Christo servatum iri, nullus dubitat<sup>35)</sup>.

<sup>35)</sup> Vide Tom. I. p. 246. Explicatis locis i Joh. 5, 12 et Act. 4, 12 (ubi Petri verba referuntur) Socinus addit: Summa haec est, tam Petri sententiam, quam Joannis, et si quae sunt aliae similes, in Sacris Literis ita accipi debere, ut intelligamus, num etiam consequenda vitae aeternae patefactam hominibus a deo esse praeservandam. In Jesus Christus docuit et sic praeter fidem in ipsum Jesum, minus cuiquam dare vitam aeternam velit, quamvis Iesu Christus habeat, nihil ab eo sit aduersus sententias istas. Est enim hoc in utramvis partem quidquam inquirendum a statuendum, et agnoscendum, de re in utramvis partem quidquam leviter errare inter eos, qui christianam theologiam profitentur, non modo inquirere, sed de ea re in alterutram partem aliquam parum memor., Schmalcius in credimus nos (scil. Sociniani), Je servaturum omnes, qui ab initio ei deus potestatem omnis carnis et is vivorum et mortuorum.“ Conferre licet ea, quibus Volkeli 131, locum in epist. ad Rom. c. 4. v. 7. 8. Christi in mortuos potestas adeo late patet, ut deris temporibus moriuntur, sed illos etiam omnes, mordio vita excesserunt, complectatur. Nam et B demortui, dominus dicitur, reveraque tunc factus est, dignitatis collocaretur. Quia de caussa statui potest, non ipsius disciplinam sequuntur, verum etiam, qui olim curserunt, Christi esse, ab apostolo tunc dici, vel saltem iis, qui accenseri, cum de mortuorum resurrectione explicans ait: Christus, deinde, qui sunt Christi, in adventu ejus (1 Cor. 15, 22).

(Continuabitur.)